



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

xvi. De violatione Ecclesiae, & quibus casibus fiat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13883

seruetur ab interdicto tamen & suspensione eidem absol-
vere non conceditur, quicquid aliqui contrarium affirmet
posse sicut ab excommunicatione, ita etiam ab istis cen-
suris. Ratio discriminis est: quia ideo conceditur facultas ab-
soluendi ab excommunicatione, eo quod absolutio eius
ad receptionem Sacramenti omnino praequiratur, abso-
lutio vero suspensionis & interdicti non est necessaria an-
te absolutionem a peccatis: Per Bullam autem cruciate
conceditur confessario electo privilegium absoluendi ab
interdicto personalis, & alijs censuris, vt Henriquez vbi su-
pra testatur.

23 *Septimo*, In articulo mortis absolui, & relaxari potest
quodlibet interdictum personale, praesertim vero speciale,
seu particulare per quemcunque Sacerdotem: quia haec
est Ecclesiae pietas, vt nullum omnino delictum, nullam
censuram voluerit in articulo mortis non posse absolui, vt
colligitur ex Concil. Trident. Sess. 14. de Sacram. penit. c. 7.
Nau. in Man. c. 26. nu. 26. & c. 27. nu. 272. Henriquez li. 13.
de excom. & interd. c. 51. §. 3.

24 *Octavo* interdictum ab ingressu Ecclesiae, si in articulo
mortis peniteat, in loco sacro sepeliri potest, cap. is cui, de
sentent. excommunic. libro 6. Et quia ibi non requiritur
confessio, vel absolutio, sed solum penitentia, penitere
autem dicitur qui dat signa penitentiae in illo articulo,
ideo qui solum signa dedit penitentiae, puto sic sepeliri
posse.

25 *Nono*, Quamuis nominatim interdictum & mortuus in
suo interdicto, in loco sacro sepeliri non possit, sub pena
excommunicationis latae sententiae, vt habetur in Clemen.
1. de sepul. Si tamen signa penitentiae dederit, ab interdi-
cto post mortem absolui potest, & postea in loco sacro se-
peliri; Id quod colligi potest ex regula quadam Panor. in
capitul. A nobis, 2. numer. 8. de sentent. excommunic. vbi
ait, omnia, quae principaliter pertinent ad corpus, post mor-
tem applicari ipsi defuncto; Sed sepultura, & consequenter
relaxatio interdicti ad effectum sepulturae principaliter per-
tinet ad corpus, cum ex signis penitentiae datus in morte
praesumamus quantum ad animam, sic interdictum abso-
lutum a Deo; potest igitur post mortem absolui vt sepelia-
tur. Haec tamen absolutio post mortem, non nisi ab eo fi-
eri potest, ad quem de iure in vita absolueri pertinebat, vt
in c. A nobis, 2. habetur.

26 *Decimo*, Ante absolutionem aut relaxationem interdi-
cti praecedere debet satisfactio partis, vnde relaxans interdi-
ctum vocare debet partes, vt eas componat, vbi id opus
erit. Et praemittenda erit nonnumquam ante absolutio-
nem cautio iuratoria, id est, iuramentum de stando man-
datis Ecclesiae, vel saltem cautio ad eum modum, quo in
sine tract. de absolutione suspensionis latius expositum
est, ex Alphonso Vinaldo tit. de interdicto, num. 146. &
alijs. Et haec de interdicto sufficiant.

De violatione Ecclesiae, & quibus casibus fiat. Cap. XVI.

S Y M M A R I U M.

- 1 Violatio, seu pollutio Ecclesiae, qua in re similis sit interdi-
cto loci.
- 2 Violatur Ecclesia per effusionem iniuriosam sanguinis hu-
mani intra Ecclesiam.
- 3 [Effusionis] vox abundantiam significat.
- 4 Effusio sanguinis humani vt polluat Ecclesiam, peccatum
mortale esse debet.
- 5 Vulnus sine sanguinis effusione in Ecclesia inflictum, Ec-
clesiam non polluit, nisi &c.
- 6 Effusio sanguinis aliorum animalium praeter hominum,
violationem Ecclesiae non inducit.
- 7 Occisio ante Ecclesiam facta, etiamsi occisus postea in Ec-
clesiam delatus sit, Ecclesiam non polluit.
- 8 Effusio sanguinis desuper in tecto, aut infra sub specu, aut

loco subterraneo Ecclesiae, illam non polluit.
9 [Ecclesiae] nomine, tam non consecrata, quam consecrata
Ecclesia intelligitur.

10 Effusio sanguinis, vt celebrationem in Ecclesia impediatur,
publica esse debet.

11 Effusio sanguinis, aut seminis facta ab hinc multis diebus,
quomodo hodie & non antea, celebrationem officiorum
diuinorum impedire possit.

12 Homicidium voluntarium mortale intra Ecclesiam fa-
ctum Ecclesiam polluit.

13 Homicidium casuale Ecclesiam non violat.

14 Effusio sanguinis ob fidem Catholicam occisi, aut vulne-
rati in ecclesia eam polluit.

15 Perussio mortalis in Ecclesia facta, licet extra eam ma-
riatur, Ecclesiam polluit.

16 Sententia mortis contra aliquem in ecclesia lata, tam
non polluit, dummodo mortis executio extra illam
fiat.

17 Seminis humani effusio illicita intra ecclesiam illam pol-
luit.

18 Seminis aliorum animalium praeterquam hominis effusio,
ecclesiam non polluit.

19 Matrimonialis coitus in ecclesia ecclesiam polluit, cen-
suratur.

20 Mollities, & Sodomia intra ecclesiam commissa illam pol-
luit.

21 Pollutio voluntaria indirecte in somno ecclesiam non vio-
lat.

22 Excommunicatus denunciatus intra ecclesiam sepultus,
ecclesiam polluit.

23 Infidelis intra ecclesiam sepultus, ecclesiam polluit.

24 Catechumenus ante baptismum in ecclesia sepultus eccle-
siam polluit, non censetur.

25 Filius fidelium ante baptismum mortuus, in loco sacro
sepeliendus sit.

26 Filius infidelium in ecclesia sepultus ecclesiam polluit.

27 Ecclesia per episcopum publice excommunicatum conse-
crata polluta censetur.

28 Polluta ecclesia, pollutum est Cimiterium contiguum,
sed non e contra.

29 Missam in ecclesia polluta celebrans, quamuis mortaliter
peccet, irregularis tamen non est.

30 Festus, in quibus suspenditur de iure interdictum loci, in
ecclesia polluta celebrare non licet.

31 Ecclesia consecrata polluta a quo, & qualiter reconcilia-
da.

32 Ecclesia solum benedicta & polluta, a quo, & qualiter re-
conciliari debeat.

33 Ecclesia an consecrata, vel benedicta sit, quomodo cognosci
poterit.

1 **Q**uoniam pollutio, seu violatio Ecclesiae similis est in-
terdicto loci in hoc, quod in Ecclesia benedicta pro-
hibentur celebrari Missae, & alia officia diuina sub pecca-
to mortali, si illius violatio publica sit, ideo breuiter causa
illos ponere oportet, quibus Ecclesia violatur, qui causa
a iure feruntur, cum ab homine nunquam imponi so-
leant.

2 **Primus est**, Quando effunditur iniuriose sanguis homi-
nis viuentis intra Ecclesiam capit. Ecclesiae, dist. 68. & cap.
Ecclesiae, de consecr. dist. 1. & capit. propositus, de consecr.
Eccles. vel altar. Palud. 4. dist. 18. quaest. 8. in art. 1. princip.
§. Quantum ad quartum. Conclus. 1. Host. in Summa tit.
3. titulo de consecr. Eccles. vel altar. numero 5. §. Et ad illud
iteranda Summa Confess. lib. 3. tit. 24. quaest. 150. Summa
Astensis par. 2. libr. 6. tit. 29. art. 3. S. Anton. 3. par. tit. 1. c. 2.
6. §. de violatione Ecclesiarum. Angelica, verbo, Consecra-
tione

eratio Ecclesie, numer. 4. Pisanella, verbo, consecratio. 2. Sylvest. verbo, consecratio, 2. quest. 5. versic. Secundus casus, Tabiena verbo consecratio, 2. numero. 4. §. Tertio. Ioan. Bachon. 4. distin. 10. quest. 2. artic. 3. Sotus 4. dist. 13. quest. 2. art. 1. circa medium. Martin. Ledesm. 2. 4. dist. 13. quest. 2. art. 1. tract. de irreg. in fine. Nauar. in Manual. capit. 27. artic. 1. §. 6. Henriquez lib. 9. de Missa, cap. 27. §. 5. Alphonsus Vivaldus titulo de interdicto, num. 54. Summa Coronata, titulo eodem, numero 6. Iacobus de Grassijs, libro secundo de Dicit. capit. 48. numero 11. & numer. 22. Cosinus Philarchus de officio Sacerdotis par. 1. libro 4. capitulo 4. & Thomas Zerula in Praxi Episcopali, part. 1. in verbo, Pollutio Ecclesie. Franciscus Victoria in Summa, numero 99. Sebast. Medices, part. 2. titu. 9. quest. 10. & alij Tolemus libro quinto instruct. Sacerd. capit. 8. In eo quod dicitur, quod sit *Effusio*, denotatur, quod debet esse in abundantia, effusio enim hoc loco abundantiam significat, ex Tolemo & alijs vbi supra, & Panor. in cap. *proposuisti*, de consec. ecclesie. & glos. in cap. *cum illorum*, in verbo *effusionem sanguinis de seu. excomm.* quicquid Alphonsus a Castro, lib. 1. cap. 7. Caroli. 2. de potest. leg. pœnal. velit, ex quo vis modica effusione sanguinis Ecclesiam polluit, nisi forte vis, aut altera tantum gutta effunderetur, tunc enim neque secundum illum Ecclesia polluetur. Ex modica igitur sanguinis effusione non polluitur Ecclesia, nec reconciliatione indiget vt DD. præfati testantur. Immo si quis forte cum aliquo in Ecclesia contendens pugno eum percussit in naribus, & fluere sanguis (vt contingere solet in vicijs puerorum) etiam in magna quantitate, non polluitur Ecclesia, vt Victoria, Sotus & Iacobus de Grassijs vbi supra, nu. 25. Thomas Zerula vbi supra citans etiam Panor. in cap. *Proposuiti* numer. 3. de consecrat. Ecclesie. vel altar. & Ioann. Sylua. tract. de beneficijs par. 1. quest. 6. nu. 128. testatur.

Debet etiam hæc effusio esse *Iniuuosa*, seu iniuriöse fieri, ita vt sit mortalis culpa; Quia non fuit naturalis effusio sanguinis a naribus, aut ex ore, aut ob aliquem euentum factam, puta ob casum, aut lapsum lapidis, aut regule per se de Ecclesia cadentis, etiam si eum occideret. Sed nec ita quæ propter iustam defensionem sui sit; nec quæ loquor, & recreatione, subintelligit, iusta, & licita facta est; Quæ tamen vt rectè Marr. Ledesm. & Nauar. vbi supra, dicunt, in Ecclesia raro fieri potest; nisi forte ad pia representanda, argum. cum decorem, de vita & hon. Cler. & caput. Decet de immunit. Eccles. lib. 6. Nasque ex Alphonsio Castro, lib. 1. cap. 7. de potest. leg. pœn. si chirurgus, dum vulnus curat in Ecclesia, aut venam incidit, effundat sanguinem inculpate. Neque sufficit effusio sanguinis facta per fatuosum, aut atremem, ebrium, aut infancem vsu rationis carentem. Secus tamen si quis seipsum vulneraret, dum modo sanæ mentis esset, ex Gem. in ca. vnico, de consec. Ecclesie. lib. 6. quem refert, ac sequitur Syl. vbi supra.

Debet etiam *effundi sanguis*; Quia vt notant Syluest. Ledesm. Nauar. Vivald. numero 57. Iacobus de Grassijs articulo 14. vbi supra, & fauet Panor. in d. cap. *proposuisti*, non sufficit vulnus sine sanguinis effusione, etiam si terat carnes, & confringat ossa. & facit glos. in capitul. vnico, de consec. Ecclesie. lib. 6. Vnde in d. cap. vnico, & in cap. *siua*, eod. titulo in antiq. sit mentio de *san. uinis effusions*, & hoc tenet Ioan. Bachon vbi supra. Id quod intelligendum est, vt verum sit, eo modo, quo inferius num. 8. dicemus, scilicet, nisi postea opus fuerit vulnus illud heretico a perire; tunc enim illi occasione illius sanguis in abundantia exiret, Ecclesia polluta erit.

Effundit debet sanguis *hominis*, quandoquidem effusio sanguinis aliorum animalium non inducit violationem Ecclesie, ex Ledesm. Vivaldo numero 58. & Nauar. citato post glos. in c. vnico, in verbo, *Sanguinis*, de consec. Ecclesie. libro 6.

Debet etiam effusio hæc sanguinis esse *hominis*, *viuentis*; Vnde, si quis ante Ecclesiam occidat, mox intra Ecclesiam occidat, occisor verò aut alius mortuum esse non credens, corpori abbat. calido plagam infligit, ex qua sanguis fluit, non polluitur Ecclesia, vt colligi potest ex Henriquez vbi supra.

supra, quicquid contrarium putet Bachon. citat.

8. *Præerea* Effusio hæc sanguinis fieri debet *intra Ecclesiam*. Non enim sufficit si extra Ecclesiam fiat, etiam desuper in tecto, aut infra sub specul, aut loco subterraneo, ex glos. in d. capitul. vnico, libr. 6. Vnde si quis alibi extra Ecclesiam vulneratus, ad Ecclesiam confugiens, illic multum sanguinis effunderet, non pollueretur Ecclesia; Contra verò si quis intra Ecclesiam vulneratus, antequam ad terram sanguis decurreret, vt puta quia in scutella colligitur, exiret, nihilominus qui intra Ecclesiam effusionis sanguinis causa facta est, polluitur Ecclesia, & reconciliatione indiget. glos. in d. capitul. vnico, in verbo *Sanguinis*, de consec. Ecclesie. lib. 6. Paludan. Bachon. Syluest. Summa Confessorum, cit. quest. 152. Iacobus de Grassijs numero 23. Vivald. numero 63. & 64. Cosinus Philarchus vbi supra Toletus libro 5. capitulo 8. vbi supra. Sic etiam si quis percussit aliquem in Ecclesia, cauendo tumorem, vnde postea opus sit vt aperiat ferre Ecclesia est polluta, quia percussio iniurio sa facta fuit in Ecclesia; Non enim est de essentia pollutionis Ecclesie, vt sanguis in ea exeat, sed satis est, quod facta sit talis percussio in ea, & quod postea exinde exeat sanguis in quantitate secus *verò*, si quis verberaret aliquem in Ecclesia cauendo huorem, tunc enim Ecclesia polluta non erit, ex Thoma Zerula in par. 1. suæ Praxi Episcopalis, in verbo, *pollutio Ecclesie*, citans etiam Afflicti, in Constitutione, *Si quis aliquem*, Rub. 12. num. 3. versiculo *Secundo quæro*, vt superius numero 5. dictum est. Ecclesie autem nomine hic intelligitur. Ecclesia tam consecrata, quam non consecrata, argum. capitul. fin. de consec. Ecclesie. & ibi glos. in verbo, *non consecrata*. Ledesm. Nauar. cit. Alphons. Vivald. numero 56. & Sebast. Medices, part. 2. Summa, titu. 9. quest. 10. quatuor quoad reconciliationem magna sit differentia, quia consecratam Ecclesiam reconciliare debet Episcopus cum aqua a se, vel a b alio Episcopo benedicta; non consecratam verò potest solus Sacerdos cum aqua benedicta a se reconciliare, cap. *Aqua*, de consec. Ecclesie. & glos. in cap. *siua*, in verbo, *lanetur*, de consec. Ecclesie. vel altar.

10. *Quibus* omnibus addo, quod ad hoc vt talis effusio sanguinis impediat celebrationem in Ecclesia, debet esse publica talis violatio, si enim sit occulta nec opus est Missas, & diuina officia suspendere, neque Ecclesiam reconciliare, glos. in c. vnico, in verbo, *pollutio*, de consec. Ecclesie. lib. 6. Hostien. in Summa, vbi supra Ioan. Bach. 4. d. 10. q. 2. art. 3. in fine. Richard. 4. dist. 13. q. 1. art. 4. Summa Astenfis vbi supra art. 3. in prin. Syl. in verbo, *Consecratio*, 2. q. 5. vers. Tertius. Tabiena verbo, *Consecratio*, 2. num. 4. §. Tertio. Alphonsus a Castro lib. 1. de potest. leg. pœnal. c. 15. Concl. 3. in fine. Nauar. in Manual. c. 27. num. 256. Sotus 4. d. 13. q. 2. art. 3. versic. Et est hic notandum. Henriquez lib. 9. de Missa, cap. 27. §. 5. Cosinus Philarchus, & Thomas Zerula vbi supra & Iacobus de Grassijs nom. 11. Toletus lib. 5. Instruct. Sacerd. c. 8. Ioan. Andr. quem refert Syl. vbi supra, & colligitur ex c. significasti, in verbo *publice*, de adulterijs. Fiunt autem hæc publica, vel ex publica confessione eorum, qui fecerunt, vel ex facti euidencia. Et hoc intelligo veram non solum in effusione sanguinis, aut seminis sed etiam in alijs casibus sequentibus, quibus polluitur Ecclesia; quod pater ratione Ioann. Andr. quia, inquit, Ecclesia non iudicat de occultis. Vnde, si Sacerdos icit per confessionem Ecclesiam esse pollutam sanguinis, aut seminis effusione, potest ibi celebrare, argum. capitul. cum non ab homine, de senten. excomm. Palo. vbi supra, Concl. 2. quicquid Hostien. in Summa, lib. 5. tit. de pœnit. & remiss. num. 5. §. in quo tenetur, in fine. Et Summa Astenfis, par. 2. lib. 6. titu. 29. art. 3. in principi. & Summa Confess. lib. 3. tit. 24. quest. 154. velint tutius esse, vt hoc reuelet Episcopo in genere, dicens, Talis Ecclesia eget reconciliari, quorum opinio nulla ratione sequenda est.

11. Addi potest ex Pan. in c. significasti, num. 2. de adult. & Nau. vbi supra, nu. 256. in fine, & Sebast. Medice vbi supra q. 12. contingere posse, vt effusio sanguinis, vel seminis facta abhinc decem diebus, hodie incipiat impedire Missam, & diuinorum celebrationem, & non ante, vt si ipsi qui

qui fecerunt, nunc delictum manifeſtent, aut ſi facta ſit, tunc videntibus duobus, & vſque nunc facientibus, iam vero publicantibus, ita vt fama gignatur, ſic enim licet nō ex tunc, ex nunc tamē impedit, vnde quod Thomas Zerula Epifcopus Minorēſis in ſua Praxi Epifcopali par. 1. in verbo, *Pollutio Eccleſie*, Notab. 5. affirmat ex Alphonſo de Caſtro. lib. 2. de lege, penali, c. vlt. in fine, ſcilicet, ſi aliquid horum, quibus polluitur Eccleſia interuenit hodie & ignoratur, & poſt octo dies venerit ad notitiam, ſi interim ibi fuerit celebratū, non opus eſt reconciliatione, quia vnica ſola celebratione dicitur Eccleſia reconciliata, nec in praxi tutum, & contra communem DD. conſenſum, & omnino falſum eſt.

12 *Secundus eſt*, Per homicidium mortale intra Eccleſiam perpetratum, ſic Paludan. Hoſt. Summa Aſtenſ. Ioan. Bachon. Nau. Ledef. Sotus, Henriquez vbi ſuprà, in caſu 1. & Sylu. cit. q. 5. verſ. Primus. Tabiena, cit. 5. Quartus, Angelica, cit. nu. 4. verſ. Secundus. Viuald. Iacobus de Graſſ. Philarchus Zerula, Corona Cōfeſſ. Viſtoria vbi ſuprà. Quod intelligitur, etiam ſi ſanguinis non effundatur, vt puta ſi ibi ſuffocaretur, aut ibi vulneratus ad mortem, exiret, antequam ſanguis emanaret, aut ſi occideretur cum terſorio ad collum, aut ſi poſtetas ibi hominem ſuspendat, nullo ſanguine fuſo. ex gloſ. in cap. vnico, in verbo, *ſanguinis*, de conſec. Eccleſ. lib. 6. Palu. Bachon. Sylu. Tab. Viuald. nu. 64.

13 & 66. Coſmus Philarchus, Iac. de Graſſ. nu. 23. vbi ſuprà. Dixi, *Homicidium mortale*: Non enim polluitur per homicidium caſuale puta cum lapis caſu de ſuperioribus cadēs ibi hominē vulneret, aut occidat, aut ſi quis ſalmine percuffus ibi moreretur. Neque ſufficit ſi quis ſarioſus in amētia ſeipſum, aut alium ibi interficiat, quia non eſt homicidium mortale, vbi de eſt voluntas, arg. Clem. ſi ſarioſus, de homicid. ſecūs tamen, ſi quis ſue meatis compos, ſeipſum vel alium in Eccleſia animo irato occidat, ſi ſit publicum.

14 *Neque violatur*, cum quis ſe defendendo cum moderamine inculpate tutelae alium occidit, ex Ang. Sylueſt. & Tab. Victor. nu. 99. Viu. nu. 62. Summa Corona nu. 6. vbi ſuprà. Item, cum quis ſanctus ob fidem Catholicam in Eccleſia occiditur, quicquid Summa Confeſſ. lib. 3. tit. 24. q. 153. Pan. vbi ſuprà, & aliqui alij velint Eccleſiam non pollui, quali Eccleſia talis ſanguine, & morte conſecratur potius, quam violatur, veritas tamen eſt, gl. in c. vnico, in verbo, *Sanguinis*, de conſec. Eccleſ. lib. 6. Io. And. Summa Aſtenſ. Palu. Ang. Sylu. Tab. Nau. Viu. n. 65. & Iacobi de Graſſ. nu. 24. vbi ſuprà, quia licet paſſiva effuſione ſanguinis illius honoretur & ſanctificetur Eccleſia, ca. Quamuis, diſt. 21. ex iniqua tamen & actiua effuſione polluitur, & magis iniuriatur ſecundum illud, *Actio diſplicuit, paſſio grata fuit*, & ideo Eccleſia reconcilianda eſt, non tamen laudandus eſt locus vbi ſanguis effuſus eſt, vt gloſ. Angel. Sylueſt. & Tabiena, notant. Dixi *intra Eccleſiam perpetratum*. Que particula intelligenda eſt ſicut in primo caſu, vnde ſi quis in Eccleſia leuiter percutiatur, & extra Eccleſiam moriatur, Eccleſia violatur, quia verē in Eccleſia factum eſt homicidium; ſecūs tamen ſi extra Eccleſiam percuffus ſit, & poſtea ad Eccleſiam fugiens multum ſanguinis effundat, ibique moriatur, quia nō eſt factum homicidium in Eccleſia. Similiter ſi quis ſuprà tectum Eccleſie occidatur, aut ſub Eccleſia, non violatur Eccleſia, quia verē non eſt factum homicidium intra Eccleſiam, ſed extra ex Summa Aſtenſi vbi ſuprà, art. 3. q. 2. & 3. Io. Bachono, q. 2. art. 3. Ang. cit. nu. 5. Sylu. cit. Tab. vbi ſup. 8. Quinto, & gl. in c. vnico, in verbo, *ſanguinis*, de conſec. Eccle. Quod ſi quis extra Eccleſiam exiſtens cum ſagitta percuteret exiſtentem in Eccleſia & moriatur intra, vel extra Eccleſiam polluitur Eccleſia, eo quod in Eccleſia facta eſt percuffio iniurioſa, ex Tabiena, cit. 8. Sexto, ſi verō feratur ſententia mortis contra aliquem in Eccleſia, non violatur Eccleſia, 16 ſi executio mortis extra illam fiat, vt docet Nau. in Man. c. 27. n. 256. cum Led. vbi ſuprà. Exiſtens autem in Eccleſia, ſi hominem extra Eccleſiam poſitum occidat, nō exinde polluitur Eccleſia ex Ledef. cit. Nau. num. 256. verſ. *Aut mortis*. Viuald. num. 67. Et quod in ſuperiori caſu de pollutione publica diximus in hoc etiam caſu intelligendum eſt, ſicut in caſibus ſequentibus.

17 *Tertius eſt* Quando ſemen humanum illicitē effunditur in Eccleſia, cap. *Eccleſis*, diſt. 68. & c. *Eccleſis* de conſec. 1. Pal. 4. d. 18. q. 8. art. 1. princ. 9. Quantom, Concl. 2. Hoſt. in Summa lib. 3. tit. de Conſec. Eccleſ. 8. Et an ſciteranda, nu. 6. verſ. ſi verō ita. Summa Confeſſorum lib. 3. tit. 24. q. 150. & q. 154. Summa Aſtenſis, par. 2. li. 6. tit. 29. artic. 3. in princip. Ioan. Bachon. 4. d. 10. q. 2. art. 3. S. Ant. 3. p. tit. 2. art. 6. Angelica, verbo, conſecratio Eccleſie nu. 6. verſ. Sextus. Sylu. verbo, Conſecratio, 2. q. 5. 8. Tertius. Tabiena, verbo, Conſecratio, 2. nu. 8. 6. Septimo Martin. Led. 2. 4. q. 26. art. 2. tract. de irreg. in fine. Sotus 4. d. 13. q. 2. art. 3. Nauar. in Man. c. 27. nu. 257. Henriquez lib. 9. de Miſſa. c. 27. 8. 5. Alphonſus Viualdus tit. de Interdicto, nu. 68. Franciſcus de Viſtoria, in Summa, nu. 99. Summa Corona tit. de Interdicto, num. 6. Iacobus de Graſſis, lib. 2. Decret. ca. 48. num. 26. Coſmus Philarchus lib. 4. de officio Sacerd. p. 1. cap. 4. Marcus Antonius Cucchius, lib. 2. Inſtitut. Iuris Canonici, tit. 13. Thomas Zerula Epifcopus Minorēſis, in par. 1. ſue Praxi Epifcopalis, in verbo, *pollutio Eccleſie* & habetur etiam in c. ſina. de Conſec. Eccle. vel Altar. & c. *Significati*, de adult. Dixi *Semen humanum* ad excludendum ſemen aliorum animalium, & ad includendum vtrumque ſexum, tam viri, quam mulieris, Clerici, aut laici, fidelis, aut infidelis; Item, ſiue ſit per adulterium, ſiue per ſimplicem fornicationem, ex glo. in d. c. Eccleſijs, in verbo, *ſemine*, diſt. 68. & in cap. Eccleſijs in verbo, *ſemine*, de Conſec. diſt. 1. & gl. in c. vnico, in verbo, *ſemine*, de conſec. Eccleſ. lib. 6. & DD. vbi ſuprà.

19 *Immo etiam* polluitur Eccleſia per coitum matrimoniale, ſcilicet, ſi vit cognoscat vxorē in Eccleſia excommunicatori DD. ſententia, ſic Palud. Sylu. Ang. Tabiena Tolletus Nau. Summa Confeſſ. q. 154. Summa Corona, Alphonſ. Viuald. nu. 72. Coſmus Philarchus, & Iac. de Graſſi nu. 26. & Summa Piſan. verbo, Conſecratio, 2. 8. Henriquez & Sebaſt. Medic. poſt Ioan. And. & gl. in d. c. Eccleſijs, de Conſec. diſt. 1. & in cap. vnico, in verbo, *ſemine*, de Conſec. Eccleſ. lib. 6. quamuis Archid. Vgol. Alex. de Alex. part. 2. quaſt. 147. membr. 2. & alij, quos refert gloſ. in d. c. vnico, contrarium putant non pollui actū matrimoniale, & Ioan. Bach. inclināt, & dubitat Sotus vbi ſuprà. Quorum DD. opiniones inter ſe conciliari poſſunt, ſi dicamus actum ſeu coitum matrimoniale publicum, qui eſt illicitus & factilegus, & contra reuerentiam loci ſacri polluetur, illud verō, qui caſu neceſſitatis ſit, & qui licitus eſt, & reuerentiam tollit, non polluetur, vt ſi coniuges longo ſopore in loco ſacro obſiderent, & illicita ſemine emiſſione ſibi timent de incontinentia, petendo & reddendo debitum in Eccleſia, crederent non violari Eccleſiam, vt expreſſe Sylu. & Henriq. Rich. 4. d. 3. 2. art. 3. qua. & Alpha Caſtro lib. 1. de poſtate legis pœnalis, c. 7. ſententur, quamuis in hoc etiam caſu Palu. illam putat pollui. Ratio Sylueſtri eſt quia ſi non violat effuſio ſanguinis facta ad conſecrationē vitæ corporalis, ſecundum Innoc. & alios, quare violabit effuſio ſemine ad conſecrandam vitā ſpiritualē; maxime quando non fuit publicus iſte coniugum congregatus. Item polluitur per quamecunque ſemine emiſſionem illicitam, vt per molliem ſecum, aut per vitium Sodomiticum cum alia perſona, ſiue vit ſit, ſiue ſomina. Polluitur tamen in ſomnis etiam voluntaria indirecte in caſu mortali non violat, ſecundum omnes, gl. in d. cap. *Eccleſijs* in verbo *ſemine*, de conſec. d. 1. Pal. Aſtenſis, Sylu. Tab. Nau. Alphonſum a Caſtro Io. Bach. Henriquez & alios, contra Angelicam, vbi ſuprà, qui falſo vult etiam nocturna pollutione in ſomnis pollui, talis enim emiſſio nō habet auctoritatem ſecum aliquam loci irreuerentiam. Ad dont aliqui, vt Aſtenſis, & Sylu. quod debet eſſe effuſio magna, quia propter modicam humectationem nō polluitur Eccleſia; ſed iudicio meo magis conſideranda eſt voluntaria emiſſio ſemine, quam quantitas ipſius; præterquam quod modica humectatio non dicitur emiſſio ſemine, quā tamen reuertunt cap. *Eccleſis*, diſt. 68. & cap. *Eccleſis*, de conſec. diſt. 1. & cap. *ſina*, de conſec. Eccleſ. effuſio enim abundantiā ſignificat, vt diximus, vt autem talis emiſſio ſemine Eccleſiam polluat debet eſſe publica, occulta enim non violat, vt DD. omnes ſuperius allati teſtantur.

Quartus est, Quando in ea sepelitur aliquis excom-
municatus denunciatus, ca. consulti de consec. Eccles. Ho-
stiensis vbi supra, nu. 7. Palud. Conclaf. 6. Summa Confeff.
lib. 3. tit. 2. 4. quest. 150. Astenfis d. art. 3. q. 3. Angelica; ver-
bo, Consecratio, 2. nu. 6. Syluest. Consecratio, 2. q. 3. versic.
Quartus, Tabiena, verbo, Consecratio, 2. §. Septimo in fi-
ne, S. Anton. 3. part. tit. 12. capit. 6. §. de violatione Ecclesia-
rum. Mart. Ledefm. & Nauar. Henriquez locis proxime
citatis. Vinald. nu. 73. Franc. Vieh. nu. 99. Cosmus Philiar-
chus, Thomas Zerula, Iacobus de Grass. num. 3. 1. Sebast.
Medice, vbi supra, quest. 10. Toletus lib. 5. capitul. 8. Dixi
excommunicatus denunciatus, secus enim si denunciatus non
esset. Immo vt notat Palud. quamuis is cui est interdictus
ingressus Ecclesie si in Cœmeterio sepelitur, nisi perituerit;
debet in Ecclesie, vel Cœmeterio sepeliri, nisi perituerit;
non tamen ibi sepulchrum facit locum pollutum, cum non sit
excommunicatus. Et sic intelligit cap. is, cui §. 1. de senten-
excomm. lib. 6. Item interdictus simpliciter si sepeliatur
in loco sacro, non propterea censetur locus ille pollu-
tus, cum hoc non sit iure expressum, & pena potius re-
stringenda sunt quam amplianda, cap. odia, de regul. iur.
lib. 6.

Quintus est, Quando aliquis infidelis in Ecclesia sepe-
latur, vt habetur in cap. Ecclesiam, 1. & 2. de consec. dist.
1. Host. Angel. Syluest. Nauar. Ledefm. Alphof. Vinald. nu.
74. Cosmus Philiarachus, Thomas Zerula, & Anton. Cuc-
chius, Toletus, & Henriquez locis allatis, Palud. vbi su-
pra, Conclusione quinta. Et in hoc casu quinto, sicut in
quarto, si Ecclesia erat consecrata, reconcilianda est, & pre-
dictorum corpora projicienda, si discerant possint ab alijs,
alioquin si discerant non possunt commode, melius est ipsa
relinqui vna cum ossibus fidelium, quam ossa ipsorum fi-
delium vna cum infidelium ossibus exhumari; & Ratio
est, quia infideles dum viuunt, ab Ecclesia eijscendi sunt, er-
go & mortui quia quibus non communicamus viuus, nec
mortuis. Non sunt tamen radendi patietes, & tigna vt no-
tant Panor. & Syluest. vbi supra, quia per abrasionem pa-
rietum violaretur consecratio, & non esset reconcilianda
solum, sed etiam reconsecranda. Illud verò ca. Ecclesiam,
2. de Ecclesia nondum consecrata, quo casu radendi essent
parietes, & sic intelligendi sunt Astenfis, Ios. Andr. Ledef.
& Nauar. Vinald. Cosmus Philiarachus. Aiton. Cucchius,
& alij, vbi supra. Sin autem Cathecumens in Ecclesia,
vel in Cœmeterio ante Baptismum sepelitur, licet fieri non
debeat, non tamen polluitur Ecclesia, aut Cœmeterium,
quoniam non reputatur quoad hoc infidelis, sed creditur
habuisse baptismum flaminis, sicut nec de illo, qui in suo
sanguine baptizatur, & tanquam martyre sepelitur; Quam-
uis in tractatu de matrimonio quando dicitur cultus di-
sparitas dirimit matrimonium, ibi accipitur fidelis cum
infideli, id est, baptizatus cum non baptizato etiam fide-
li. Ad id etiam Paludan. Quod filius fidelium mortuus ante
baptismum non solet sepeliri in loco sacro, nisi mater
moriatur in partu. Nulli enim datur Ecclesiastica sepul-
tura nisi de quo creditur quod tunc, vel quandoque intra
bit in requiem Ecclesie triumphantis, non tamen polluitur
locus, si puer ibi sepeliatur, quia licet non sit fidelis, non
est tamen proprie Genilis, vel infidelis, ex quo est filius fi-
delium. Puer autem filius infidelium tumulatus bene pol-
lueret, sicut si esset magnus. Quando autem mater mor-
tatur in partu exitum mortui, vel qui statim ante bap-
tismum moritur, consecratus est, vt sepeliatur cum ea, licet scia-
mus ipsam damnatam, quia reputatur quasi pars visceru,
& pro honore matris Christianæ coniunguntur in sepul-
tura, quasi fuerit coniuncti, & nunquam separati in vita,
& in morte, & ideo non polluitur locus, idem docent Hu-
go, & Goffred. quos refert Hostiens. in Summa, lib. 3. titul.
de consec. Eccle. nu. 8. quamuis ipse dubius sit quid in hoc
casu agendum sit.

Sextus est, Quando Ecclesia consecratur, aut Cœme-
terium benedicitur per Episcopum publicè excommuni-
catis, argumēt. capituli, consulti de consec. Eccles.
Paludan. in d. articu. primo princip. §. Quantum ad quar-
tum, Conclaf. 4. Panormitan. & Hostiens. in d. capitul.
consulti, Angel. S. Antonin. vbi supra, Syluest. cit. quest.

quinta, §. Quintus. Tabiena vbi supra, §. Septimo, in fi-
ne, Astenfis vbi supra articulo tertio, questio. 3. Nauar. in
Manual. capitul. 27. numero 258. Ledefm. Summa Con-
feff. citat. quest. 150. Vinald. numero 76. Cosmus Philiar-
chus, Thom. Zerula & Henriquez locis citatis, Rationem
reddunt Panormitan. & Host. quia si sepultura corporis
excommunicati polluit ipsum locum, a fortiori, cum con-
secrationis officium per eorū os, & manus peragitur, qui
publicè excommunicati sunt. Et quia ea quæ consistunt
in exterioribus consecrationibus, & benedictionibus facta
per huiusmodi si publicè excommunicatum, ante reconcilia-
tionem per fideles exerceri non debent. His addo ex Host.
& Pal. cit. Quod si publicè excommunicatus ibi celebrat,
vel sepeliat, non propter hoc necessaria est reconciliatio, vt
habetur ex responso Honorij Papæ III. in c. A Nobis, de
Sacram. non iterand.

His omnibus addo ex Paludan. citat. Conclaf. 3. Astenfi
vbi supra, quest. sext. Summa Confeff. quest. 157. Vinald.
numero 78. 79. 80. & 81. Anton. Cucchio, Cosmo Philiar-
chus, Iacobo de Grass. num. 29. Thom. Zerula, Sebastiano
Medice, part. 2. titul. 9. q. 11. Toletus lib. quinto Instruct.
Sacerd. capitul. 8. & alij, Quod quando Ecclesia polluitur
quocumque modo, eo ipso intelligitur polluta Cœmeterium,
& capella contigua, sicut de interdicto superius annotatū
est, quia Cœmeterium consecratum eodem privilegio
gaudet, quo & Ecclesia consecrata, argum. cap. consulti-
ti, & ibi gloss. in verbo, Cœmeteria, de Consecr. Eccles.
Vnde, nisi prius reconcilietur, non debet ibi aliquis se-
peliri, aut Missa celebrari; Polluto autem Cœmeterio,
non propterea polluta censetur Ecclesia, quia magis dig-
num trahit ad se minus dignum, non e contra. Quod si
Cœmeterium contiguum non fuerit, sed eorum extre-
ma ad inuicem separata, & idem si duo Cœmeteria ad
inuicem medio pariete separata sunt, licet de vno ad alterum
transeat per ostium, pollutio vnius, non inficit al-
liud, c. vnico, de Consecr. Eccles. lib. 6. Palud. & Astenfis v-
bi supra.

Qui verò in Ecclesia publicè violata missam celebrat,
aut alia diuina officia peragit, aut sepelit defunctum,
quamuis peccet mortaliter, nisi urgente necessitate id
fiat de licentia Episcopi ex Sanct. Thom. 3. part. quest. 83,
art. 3. q. 2. irregularis tamen, aut suspensus non efficitur,
quia pollutio Ecclesie non est proprie censura Interdi-
cti. Sic Paludan. 4. d. 18. quest. 8. art. 3. princ. Conclaf. 5.
Angelica, verbo; Consecratio Ecclesie, numero octauo,
Syluest. verbo, interdictum, 6. quest. 2. §. Secundum, ver-
sifica. Secundò limitatur, & in verbo, Consecratio, 2. q.
nona, Tabiena, verbo, Consecratio, 2. §. Nono Richar.
4. d. 13. art. 4. quest. 1. Scot. 4. d. 13. quest. 2. art. 2. vers.
Circa primum sciendum. Sotus, 4. d. 13. q. 2. art. 3. ad secundū,
versic. Rufus etiam adnotandum Summa Astenfis, par.
2. li. 6. tit. 29. art. 3. q. 4. Summa Confeff. q. 156. Cosmus Phi-
liarchus, Iacobus de Grass. nu. 28. Summa Pisanella, ver-
bo Consecratio, 2. §. 10. Sebast. Medice, par. 2. tit. 9. q. 12. To-
letus li. 1. c. 2. 1. & lib. 5. c. 8. Henriquez lib. 9. de Missa, c. 27.
§. 7. & lib. 13. de excomm. & interd. c. 5. §. 5. & habetur ex-
presse in cap. is, qui de sent. excomm. lib. 6. Vnde falsò Lapus-
quem citant, ac sequuntur Angelica, cit. & Sylu. in ver-
bo, Consecratio, 2. quest. 9. & Vinald. num. 86. docent, ce-
lebrantem in Ecclesia polluta suspensum esse ab ingressu
Ecclesie, afferentes pro se cap. Episcoporum, de priuileg.
lib. 6. nam illud c. loquitur solum de eo qui celebrat, aut ce-
lebrare facit in loco interdicto, non autem de celebrante in
Ecclesia polluta & violata. Et in festis quibus iure suspen-
ditur interdictum loci, non licet in loco, seu Ecclesia viola-
ta celebrare, argum. eorum que tradunt gl. in c. Turum,
in verbo, Ad reconciliationem, de priuileg. Villadiego de ir-
regul. c. 4. nu. 10. & expresse Henriquez lib. 13. c. 5. §. 5. in
fine.

Quoad reconciliationem verò Ecclesie pollute, dili-
genter aduertendum est, an Ecclesia consecrata fuerit,
nec ne; Et quidem si consecrata fuerit a proprio loci E-
piscopo tantam, vel de eius licentia per alium Episcopum
reconciliari debet, cū aqua ab Episcopo benedicta quæ vi-
num cum cinere admixtum habeat, cap. Proposuiti, & c.
Nn Aqua,

Aqua, de consecr. Eccles. & cum verbis, quæ in Pontificali habentur; Papa tamen, non autem Episcopus, ut præfati DD tradunt, hanc Ecclesie consecrate reconciliationem simplici Sacerdoti committere potest, sed cum aqua per Episcopum benedicta. Quo modo intelligi debet Victoria, cum num. 99. cit. dicat, cuique Clerico hoc committi posse. Vnde Leo X. concessit Prælati ordinis Minorum, ut Ecclesias suas pollutas reconciliare possent, aqua per ipsos Prælatos benedicta; si Episcopus, qui illam benedixit dicitur ultra duas dietas, ut habetur in Compend. Mendic. verbo, Benedicere, §. 14. Henriquez ubi supra lib. 9. ca. 27. §. 6. & lib. 13. c. 5. §. 5. vbi ait Dietam continere viginti miliaria, seu leucas septem, & facit c. Nonnulli, & ibi gloss. in verbo, *Ultra duas dietas*, de Rescript. Si verò Ecclesia consecrata non fuerit, sed tantum benedicta, potest a simplici Sacerdote per aspersionem aque lustralis, reconciliari cap. si Ecclesia, & ibi gloss. in verbo, *Laetetur*, de Consecr. Eccles. Toletus lib. 5. c. 8. Astenis in Summa, par. 2. libr. 6. tit. 27. art. 3. q. 4. Syluest. verbo, Consecratio, 2. q. 8. Tabiena, verbo, Consecratio, 2. §. octavo. Sotus, 4. d. 13. q. 2. arg. 3. ad arg. secundum, §. *Quocirca violata Ecclesia*. & Iacobus de Graff. lib. 2. Decis. cap. 48. nu. 10. qui duo vltimi addunt hinc doctrinam notatione dignam, nimirum hanc ob causam, solere Ecclesias consulto non consecrari, sed benedici, ne scilicet dum violantur, expectandus sit Episcopus,

33 Quando autem consecrata sit, vel non consecrata, apparere solet ex aliqua scriptura, vel ex aliquo instrumento dotationis, vel ex libris Ecclesie, vel ex columna, vel tabula aliqua marmorea, vel ex crucibus rubris pictis ad parietes Ecclesie, & huiusmodi, aut etiam si appareat vnus restis de visu, vel auditu, secundum aliquos, quia cum in hoc casu non tractetur de aliquo preiudicio, huiusmodi semiplena probationes sufficiunt, sic Innocent. in expositione ad Rubricam tituli, de Consecr. Eccles. vel altar. Panorm. in cap. fin. tit. eod. Summa Confess. lib. 3. tit. 24. q. 1. et 150. Summa Pisanelle, verbo, Consecratio, 2. §. 2. Angel. verbo, *Consecratio Ecclesie*, num. 3. Ioan. Bachonus 4. d. 10. quest. 2. art. 2. Syluest. verbo, *Consecratio*, num. 3. quest. 2. Tabiena, verbo, eod. numer. 2. ver. *Primo*, & Thomas Zetula Episcopus Minorensis, par. 1. sive Praxis Episcopalis, in verbo, *pollutio Ecclesie*, Notab. 3. Et de hac re hæcenus dictum sit.

De Cessatione a Diuinis, Quid sit, & qualiter differat a censuris Ecclesiasticis. Cap. XVII.

S Y M M A R I U M.

- 1 Cessatio a Diuinis interdicti loci similis est,
- 2 Cessatio a Diuinis qualiter a Diuinitibus definiatur,
- 3 Cessatio a Diuinis qualiter ab excommunicatione, & irregularitate distinguatur.
- 4 Cessatio a Diuinis quomodo ab interdicto loci differat.
- 5 Cessatio a Diuinis est quid facti, & omnes tam innocentes, quam nocentes respicit.
- 6 Cessatio nunquam a iure, sed solum ab homine imponitur.
- 7 Cessatio a Diuinis post appellationem decreta, ipso iure non annullatur.
- 8 Cessatio a Diuinis Censura Ecclesiastica proprie dicta non est.
- 9 Celebrans in loco interdicti suspensus est, & irregularis.
- 10 Cessatio a Diuinis, & interdictum, an, et quomodo æquiparatur in Clem. 1. de sent. excom.
- 11 Cessationem specialem violans regularis excommunicationem non incurrit.
- 12 Irregularitatem ad contrahendam paritas rationis non sufficit, nisi in iure exprimat.
- 13 Cessatio a Diuinis generalis non est idem, quod interdictum

simile sumptum.

14 Cessatio a Diuinis duplex est, Generalis, & Specialis, quid utraque sit.

Cessatio a Diuinis admodum similis est Interdicto loci, adeo, ut nonnulli viri docti existimare videantur cessationem a Diuinis, esse idem quod antiquum interdictum, seu interdictum strictissimum, in quo solum interdictum est licuisse conferre Sacramenta necessaria in articulo mortis, ut sunt baptismus, penitentia, & Eucharistia seu viaticum, ut colligitur ex cap. *Non est vobis*, de sponsal. cap. *Quod in te*, de pœnit. & remis. & c. *Permittimus*, de sent. excommun. aduicis autem Sacramentum etiam Penitentia, & Eucharistia (nisi virgente præcepto diuino) interdictum strictissimum olim prohibebat, ex Tabiena, verbo, Interdictum, 1. §. Quinto. Henriquez libro 13. de excommun. & interdic. c. 25. §. 1. De hac autem materia cessationis a iure in c. *Dilecti filijs*, de appellat. & in ca. *Irregularitas*, de offic. Ordin. in antiq. & in ca. *Si Canonice*, & c. *Quamuis*, de offic. Ordin. libro 6. & Clem. 1. de sent. exc.

2 Variè autem definitur a DD. Nam Panor. in d. cap. dilecti filijs, numero 18. de appellat. & Syluest. verbo Interdictum, 1. q. 1. in fine. Couar. in cap. Alma mater, par. 2. §. 2. numero primo, de sent. excom. libro 6. Sotus 4. dist. 22. qu. 3. articulo primo. Alphonsus Viualdus in suo Candelabro, par. 3. tract. de cessatione a diuinis, numero primo, & DD. communiter eam definiunt in hunc modum; [Cessatio est suspensio organorum id est, Ministrorum prohibitio, ne laudes diuinas, & Sacramenta ministrent, aut celebrent, in locum aliquem, seu Ecclesiam decreta.] Siquidem per huiusmodi cessationem eo in loco, neque Sacramenta ministrant, neque Sacrificia offerri, neque officia diuina celebrari possunt. Alij vero, ut Nauar. in Man. ca. 27. numero 188. & Martin. Ledesm. 2. 4. qu. 26. articulo secundo, post tract. de Interdicto Henriquez libro 13. cap. 52. §. primo, & Iacobus de Graff. libro 4. Decis. cap. 28. numero secundo, & Toletus libro primo, cap. 13. eam breuius, ad eundem tamen sensum, sic definiunt, *Est quedam desistentia ab officijs Diuinis, & Sacramentorum administratione*. Adde autem ab alijs illa particula, *in locum decretis* quia non datur cessatio personalis, sed tantum localis.

3 Differt autem cessatio a censuris Ecclesiasticis, & etiam ab irregularitate, Excommunicatio enim priuat directè omni communionem, & consequenter priuat Sacramentum. Suspensio priuat actu, seu facultate Ordinis, vel iurisdictionis vel vtriusque; Ordinis quidem, ne ministret, iurisdictionis, ne sententiam ferat, ne eligat, ne eligatur, ne absoluat ab excommunicatione, & vtriusque, si ab omnibus suspendatur. Irregularitas priuat a susceptione, vel administratione Ordinum, prout Ordines sunt: Cessatio autem a Diuinis est ipsa desistentia; Vnde, licet desistentia hæc ceteras Censuras consequatur, ut patet consideranti, non tamen ita proprie & directè, sicut consequitur cessationem a Diuinis, quæ formaliter in ipsa desistentia consistit.

4 Differt etiam ab Interdicto generali loci in multis. Primo quia cessatio a Diuinis, & Interdictum, generalè, tanquam diuersa, & distincta in iure ponuntur.

5 Secundo, quia cessatio a Diuinis, est quid facti, id est, non est aliud quam ipsa desistentia, & pro omnibus imponitur, nec in hoc magis respicit delinquentes, quam ipso innocentes, neque locum ipsum afficit, hoc est, non reddit locum ipsum in interdictum; At vero interdictum generale est quid iuris, & immediate prohibet celebrare, & officia diuina eo in loco exercere.

6 Tertio, cessatio nunquam imponitur a iure, sed ab homine; interdictum vero quid iuris est, interdum ipso iure imponitur, ex Soto 4. d. 22. q. 3. art. 2. Concluf. 1. Syluest. verbo, interdictum, 1. q. 1. in fine. Henriquez li. 13. c. 52. §. 1. Toletus lib. 1. cap. 23. Couar. in cap. Alma mater, par. 1. nu. 1. de sent. exc. lib. 6.

7 Quarto, Cessatio a Diuinis post appellationem decreta non sit nulla ipso iure, cum ad factum pertineat, & in